

SECVLUM XII. ius Adelheidis, unacum duobus filiis Bertholdo duce, & Ottone, fratribus adeoque Adelheidis, Hungariæ reginæ. Hæc iuxta Dan. Cornidem ex eodem S. Ladislao mater dicitur Berthæ, quæ uxor fuit Hartwici comitis de Bogen, ac mater Afcuini, qui in ferie Advocatorum monasterii Nideraltachensis iam circa an. 1062. eiusdem cœnobii advocatus fuisse perhibetur. Nodum vero hic vix non inextricabilem nectit temporum series. Rudolphus enim iste anno 1059. primam uxorem duxerat Mathildem Henrici IV. imp. fororem, ex qua an. 1060. defuncta nullos liberos fufceperat, bene vero ex altera Adelheide Sabaudia comitiffa vidua, cui postea nupferat. Ex isto matrimonio procreata est Adelheidis, S. Ladislao de in Hungariæ regi copulata, quod quidem nonnifi paullo ante an. 1077. fieri potuit, uti iam superiore libro memoravimus. Quomodo igitur Bertha huius Adelheidis ex S. Ladislao filia coniux potuit esse Hartwici I. comitis de Bogen, qui in diplomate Henrici III. imp. anno 1054. notatur, aut mater Afcuini iam an. 1062. advocati, ut mox meminimus? Eadem fere difficultas emergit, si Bertha illa filia Geifæ I. Hungariæ regis ftatuatur, qui an. primum 1074. regnum iftud arripuit.

Script. Brunf- vic. T.I. pag. 785. Bertha hæc Hartwici uxor in chronico Weingartensi apud Leibnitium foror dicitur Sophiæ, cuius frater fuerit Colomannus Hungariæ rex. Sophia eodem chronographo teste nupfit primum quidem Udalrico Carinthiæ marchioni, ex quo genuit *Poponem marchionem, qui duas filias habuit, quarum unam Bertholdo (II.) comiti de Bogen copulavit.* Hanc annalista Saxo ad an. 1106. *fororem Ladislai Ungarorum regis* vocat, ex quibus ambobus testimoniis fratres evincuntur Geifa I. & S. Ladislaus. Sophiæ istius filia Wulfhildis ex secundo cum Maginone Saxonie duce connubio orta uxor erat Henrici Nigri Baviariæ ducis, ac anno 1126. unacum marito suo defuncta. Unde quoad temporum & chronologiæ fupputationem eadem rursus difficultas in Sophia oritur, quam mox in forore eius Bertha notavimus.

His vero haud immoramur, difficultates indicaffe contenti, quæ five ex Cornidis five ex Cl. P. Scholliner ftirpe genealogica enafci videntur. Has adeo eruditiffimis inclytæ Academiæ Boicæ fodalibus enodandas commendamus: uti & illud, an duo Afcuini, pater fcilicet & filius, in hac Bogenfium genealogia admittendi veniant, ex qua utique fententia multiplicatis generationibus magis femper removetur Bertha Hartwici Bogenfis coniux & Afcuini mater.

Afcuini certe illius, qui pater erat Adalberti I. comitis de Windenberg & Bogen, iuxta verba anonymi noftri, uxor fuit Luitgarda noftra, five Afcui-